

deratur ceu fructus possessionis. Quare si quærat in specie juris patronatus realis adnexi alicui prædio concesso in emphyteusim vel usumfructum an directarius vel usufructuarius nominabit, vel potius dominus directus, et proprietarius DD. cum glossa in *id. cap. 19.* respondent usumfructuarium et utilistam jus nominandi habere. Idem vero non est dicendum de colono, aut de prædii conductore. Nam possessio fundi in adsignatione culturæ vel in locatione prædii remanet penes dominum fundi.

32. Quæritur an qui acquisivit dominium utile alicujus prædii in quo adest jus patronatus reale, possit præsentare seipsum vel consanguineos seu filios nepotes etc.

Videtur tenenda negativa sententia ex *cc. 6. et 26. h. t.* At rite intelligenda sunt hæc capita. *Caput 6.* agit de specie in qua quis quocumque modo comparat jus patronatus, seu etiam comparando prædium cui adnexum est jus patronatus reale in eum scopum ut possit suos filios, vel nepotes præsentare ad Ecclesiam vel Beneficium, et decernitur hunc esse privandum jure ipso præsentandi. Igitur excluso casu acquisitionis fundi, vel dominiis utilis in hunc scopum potest quis nominare suos filios, vel nepotes. *Caput vero 26. h. t.* agit de nominatione sui ipsius ad prælaturam vel personatum et negat posse quemcumque sese nominare ad tale beneficium. Ratio est quia nominatio videtur præ se ferre indicium superbæ, et vani ambitus. Ergo si sit beneficium simplex etiam in sensu canonum antiquorum poterit patronus seipsum præsentare, et quidem in libro decretorum S. Congr. Conc. *pag. 361.* reperitur resolutio S. Congr. in causa *Nullius, 14. Dec. 1630.* adprobata ab Urbano VIII. in qua indulgetur patrono, ut possit præsentare seipsum ad canonicatum et præbendam vacantem de suo jure patronatus.

Cæterum Doctores concedunt patrono ut possit etiam beneficium quod prælationem habeat sui juris patronatus acceptare, quoties absque præsentatione eidem hoc beneficium a superiore offeratur. Cessat enim ratio prohibitionis *cap. 26.*

33. Quæri potest quosnam possit patronus præsentare?

Respondetur eos tantum qui actu sunt digni, et habiles ad beneficium obtinendum. Nam cum per præsentationem quis ex parte patroni collocetur in conditione juris obtinendi beneficium necesse est ut capax sit ejusdem beneficii. Exercitium juris quod actu expletur supponit subjectum idoneum, in quo exerceatur. Hinc

invalida est præsentatio laici illegitimi, vel aliter irregularis sive ob defectum ætatis sive ob defectum conditionis etc. Nec valet quod brevi post præsentationem in sufficienti ætate constituatur, vel ad clericalem tonsuram promoveatur.

34. Quid vero si patronus præsentaverit indignum aut inhabilem? Patronus Ecclesiasticus qui scienter præsentaverit indignum privatur pro ea vice jure præsentandi et fit locus liberæ collationi beneficii *arg. c. 2. De suppl. negl. Præl.* Ratio est quia præsentatio fit a clerico intuitu officii sacri quod possidet, hinc non minori pœna dignus videtur clericus patronus in nominatione indigni quam elector, qui nomine Ecclesiæ eligit pariter indignum. Qui autem scienter indignum eligunt privantur pro ea vice jure electionis *c. cum in cunctis De elect. et electi pot.* Nec patronus Ecclesiasticus facti pœnitens potest aliam personam in locum indigni præsentare. Nam ipse non habet jus variandi. Scilicet patronus Ecclesiasticus licet possit plures simul præsentare superiori ita ut hic eligat quem velit, tamen non potest successive plures nominare. Quodsi ignoranter patronus Ecclesiasticus præsentaverit indignum poterit iterum alium præsentare qui sit idoneus. At patronus laicus si indignum præsentaverit, poterit alium nominare *c. 4. De off. Jud. Ordin.* atque id saltem ex jure variandi quod habet *c. 29. h. t.* Ratio diversi juris est quia laicus patronus non censetur esse satis expertus circa ea quæ sunt juris Ecclesiastici. At diffitendum non est validas esse rationes quibus magnæ notæ DD. tuentur etiam laicum patronum præsentantem scienter indignum privari pro ea vice jure nominandi. Præsumitur enim voluisse spernere leges et honorem ordinis Ecclesiastici. Cf. *Fagn. comm. cap. 4. De offic. ord. n. 39.* ubi refert etiam judicium Rotæ Romanæ.

Concordant vero DD. in hypothese præsentationis indigni, nisi patronus laicus intra terminum utile quadrimestris alium clericum dignum nominaverit, posse beneficium libere ab Ordinario conferri.

35. Quæritur intra quod tempus præsentatio fieri debeat? Patronus Ecclesiasticus habet semestre utile ad præsentandum *c. 22. h. t. et c. un. eod. in 6º.* Laicus vero habet quadrimestre *c. 3. et c. 27. h. t. et c. un. eod. in 6º.* In patronatu autem mixto uterque patronus habet semestre. Uti enim vidimus, mixtus patronatus sequitur quod est magis favorabile. Elapso inutiliter tempore sive semestrali sive quadrimestrali, beneficium pro ea vice rededitur liberæ collationis. At sciendum est 1º tempus hujusmodi

decurrere non a die vacationis sed a die habitæ notitiæ certæ vacationis, *arg. c. 5. De conc. præb.* 2º. tempus hoc non decurrere legitime impedito *arg. cit. c. 5. De conc. præb.* 3º. tempus hujusmodi esse continuum seu computari de die ad diem.

36. Quæritur quomodo procedere debeat præsentatio quando plures sunt patroni.

Resp. Si patroni componant capitulum seu corpus morale, nominatio est actus capitularis, et procedit juxta formam electionis, seu ille erit nominatus in quem concurrat major, et sanior pars suffragiorum. Ita communiter DD. *arg. c. 28. et c. 36. De Elect.*

37. Si autem jus præsentandi pluribus competat uti singulis, videndum est utrum concurrant in capita, vel in stirpes. Si in capita, qui plura retulit suffragia ille est nominatus. Si clerici præsentati æqualia vota susceperint distinguendum est inter jus patronatus Ecclesiasticum et laicale. Si primum poterit Episcopus libere cui vult conferre beneficium. Nam ex una parte nemo ex præsentatis jus habet, et ex altera patronus Ecclesiasticus variare non potest. Si alterum ante quadrimestre completum conferre beneficium non potest Episcopus; nam variare potest intra hoc tempus laicus patronus. Elapso vero quadrimestre confert Ordinarius beneficium libere cui vult ex præsentatis. Quodsi plures concurrant in stirpes consideranda non sunt suffragia uti singula sed prout referunt suffragium auctoris a quo procedunt, et quem repræsentant actuales patroni. Hinc in jure patronatus lineali, si plures sint lineæ, voces computantur in stirpes, seu una vox et unum suffragium computatur pro unaquaque linea, licet in una sint pauciores in altera plures personæ, quæ suffragium ferunt. In eadem vero linea voces computantur in capita. Hinc a DD. hoc jus patronatus unius lineæ resolvitur in gentilitium. *Card. de Luca Dis. 32. De Jur. Patr. n. 2.*

38. Quo posito quid dicendum si in eadem linea adsint personæ aliæ quidem proximiores stipiti aliæ autem remotiores? DD. distinguunt inter jus patronatus gentilitium, in quo institutor respexit ad graduum distinctionem, quo in casu jus patronatus appellant graduale, et jus patronatus familiare seu gentilitium simpliciter. Exemplum prioris esset, si institutor dixerit: proximiores de mea familia præsentandi jus habeant. Exemplum secundi esset si institutor jus nominandi relinqueret filiis, et descendantibus ac successoribus suis, nulla facta distinctione graduum. In priori

specie seu in graduali jure patronatus proximior in gradu excludit remotiores. In altera specie juxta theoriam Federici de Senis quicunque adsunt actu descendentes in linea vel in familia jus habent nominandi ad Ecclesiam vel beneficium vacans. Hinc, si adsint pater, et filii, patruus et nepotes omnes simul concurrunt ad præsentandum clericum et quidem unusquisque concurrat proprio jure, idest habet distinctum suffragium.

39. Quid vero si lis moveatur in præsentatione et interim tempus utile ad nominandum dilabatur? Antiquitus in *c. 1. h. t.* ex Conc. Gabilonensi *an. 830* et in *c. 2. eod.* ex Conc. Triburiensi *an. 895* regula statuta erat ut dissidentibus patronis in præsentatione rectoris, Ecclesia expoliaretur reliquiis et clauderetur, donec discordia perduraret. At immutatio inducta est ab Alex. III. in *c. 3. h. t.* cui coherent *capp. 12. et 27. h. t.* Scilicet si enascatur controversia inter compatronos nec lis terminetur intra quadrimestre vel intra semestre pro diversitate juris patronatus ecclesiam conferret Episcopus. At hæc regula odiosa visa est in jure, nam contradicit principio constituto in *capp. 41. De elect. et elect. pot.* et *2. De concess. præbend.* ut scilicet tempus decurrat quidem negligentibus non vero legitime impeditis. Profecto lite pendente patroni censentur legitime impediti ad præsentandum. Quare regula devolutionis ad Episcopum juris providendi Ecclesiam de rectore, beneficium de possessore stricte est accipienda. Quare 1º. non procedit hæc regula si quæstio fiat inter patronum et Episcopum qui contendat pro libertate Ecclesiæ contra patronum. Quo in casu pendente lite Episcopus non potest etiam post semestre aut quadrimestre utile rectorem Ecclesiæ destinare sed œconomum constituet in eadem Ecclesia quoadusque lis fuerit finita. *c. 4. De off. jud. ord.* 2º. Non potest Episcopus libere conferre beneficium quoties quæstio non est inter compatronos, sed inter nominatos quis præ aliis prælationis jure gaudeat. Hoc in casu etiam poterit Episcopus ad officii sacri adimplementum vicarium constituere. Satis de jure præsentandi.

40. Alia jura quæ patronis competunt sunt vel honorifica vel lucrativa. Honoris jura præsertim sunt 1º. jus processionis, de quo agitur in canonibus *2. et 27. c. 16. q. 7.* et in *c. 26. h. t.* Antiquitus patrono ad Ecclesiam diebus solemnioribus adveniendi obviam occurrebat clerus. At hic mos disparuit, et ceu tradit Pontificale Romanum et notavit Card. Hostiensis servatur solummodo

pro regibus et principibus magnæ potentia. Aliis autem patronis conceditur jus ut in processionibus partem habeant honorificam. 2º. Honor sedis, ut nempe in Ecclesia sedem habeat distinctam; 3º. honor thurificationis, idest thuris recipiendi in functionibus solemnioribus; 4º. jus habendi sepulturam in Ecclesia vel capella juris patronatus. Potest insuper patronus honoris et memoriae causa in Ecclesia vel capella proprium signum seu stemma apponere.

41. Jura lucrativa duo sunt. 1º. Ut patronus vergens ad paupertatem ex Ecclesiae sui patronatus fructibus sustentetur, deducta prius congrua portione pro rectore. Ita *c. 25. h. t. can. 29. c. 16. q. 7. et can. 30. ejusd. caus. et q.* Hæc sustentatio ab Ecclesia præstatur non solum ipsi patrono qui Ecclesiam fundavit, sed etiam ejus filiis, et hæredibus ad quos transit jus patronatus. Infertur hoc ex *can. 30. c. 16. q. 7.* ad quem appellat Clem. III. in *c. 25. h. t.* et tenuit sæpe Rotæ tribunal. 2º. Jus percipiendi census antiquum seu pensionem impositam in limine foundationis *c. 23. h. t.*

42. Onera patronorum duo sunt 1º. onus restaurandi vel reparandi Ecclesiam. Hoc onus ita urget patronum ut possit eidem intimari ut vel restauret Ecclesiam vel jus patronatus amittat. De modo, quo teneatur hoc onus patronus adimplere sermo erit in titulo *De Eccl. ædif. vel rep.*; 2º. onus vigilantia et defensionis. Vigilantia quidem quia licet patronus nullam habeat jurisdictionem circa personam clerici et bona Ecclesiae patronatus ex *c. 3. sess. 24. De Ref.* tamen ex *can. 31. filiis. caus. 16. q. 7.* tenetur advigilare ut administratio bonorum rite procedat, et intentio fundatoris observetur, et in casu negligentia vel culpæ doli poterit patronus ipsum rectorem honeste admonere, et si nihil admonitione proficiat rem Episcopo vel judici ecclesiastico denunciabit. Onus autem defensionis urget patronum; nam ideo in *cc. 23. et 24.* dicitur habere advocatiam seu curam defensionis Ecclesiae. Tenetur ergo pro viribus patronus sive simul cum rectore sive eo negligente solus tueri jura Ecclesiae vel beneficii, non quidem propriis expensis, sed expensis beneficii. Scilicet si præter operam suam aliquid impendat, poterit exposcere ut indemnis reddatur.

43. De modis, quibus amittitur jus patronatus.

1º. Ex facto criminoso; 2º. ex facto honesto patronorum; 3º. ex casu. Ex 1º. capite amittitur jus patronatus 1º. per crimen hæreseos seu apostasiae, et schismatis. Nonnulli dicunt patronum

amittere jus si fiat excommunicatus vitandus. At ut animadvertimus hoc in casu potius suspenditur exercitium ejus in jure præsentandi quoadusque sese cum Ecclesia non reconciliaverit, aut quoadusque præterlapsus non fuerit tempus utile ad reconciliationem obtinendam, quo elapso excommunicatio transit in anathema et per sententiam judicis excommunicatus privatur omnibus juribus. 2º. Amittitur per cædem aut mutilationem rectoris aut alterius clerici Ecclesiae juris patronatus factam ab ipso patrono vel ex ejus mandato *c. 12. § sacri De pœnis.* 3º. Amittitur per crimen simoniae. Videlicet amittit jus patronatus qui simoniace vel vendit vel emit jus patronatus *c. 6. h. t. et c. 9. sess. 25. Trid. de Ref.* 4º. Privatur patronus jure suo si sese ingesserit in fructuum perceptione aut temerario ausu bona beneficii aut Ecclesiae patronatae occupaverit. *Trid. l. c. 5º.* Si contra canonicas sanctiones per prohibitum titulum in alium præsumperit transferre jus patronatus *cit. c. 9. sess. 25. De Ref.*

44. Ex facto honesto aut saltem non criminoso patroni amittitur jus patronatus: 1º. per liberam cessionem juris alteri legitime factam, vel per explicitam renunciationem in favorem Ecclesiae *c. 1. h. t. in 6º.* Hæc vero renunciatio vel cessio fieri potest, quando non obstat præjudicium tertii. Hinc ex. gr. jus patronatus personale quod genti et familiae alicui spectet non potest a patre dimitti etiam pro filiis nam filii veniunt nomine proprio. 2º. Amittitur jus patronatus tacita renunciatione. Triplex casus a DD. exhibetur *a)* si patronus patiatur Ecclesiam vel beneficium incorporari alteri Ecclesiae, vel beneficio liberæ collationis, vel monasterio, quin ullam fecerit juris patronatus reservationem. Unio enim cum sit plenissima per se tendit ad extinguendum titulum præexistentem *c. 8. De Const.* *b)* Si patronus qui jus habet præsentandi rectorem in Ecclesia patiatur Ecclesiam fieri conventualem, seu erigi in collegiatam, vel in monasterium cui præficiendus sit prælatus. *Arg. c. 20. h. t.* Nam non amplius habet locum præsentatio sed electio prælati quæ facta a capitulo honestatis causa nota solummodo fit patrono. *c)* Amittitur præscriptione contraria seu per continuum nonusum longi aut longissimi temporis, dummodo saltem hoc longi vel longissimi temporis spatio binis vicibus continuis non præsentaverit patronus. Ita doctores communiter. Quemadmodum enim alii ita etiam ipsa Ecclesia potest præscribere contra patronum.

45. 3°. Ex casu amittitur jus patronatus 1°. si extinguatur familia vel linea in qua residet, nisi alia persona, et alia linea personarum substituta fuerit ab institutore; 2°. si ecclesia destratur vel pereat dos et redditus deficient, nec reviviscit jus patronatus licet rursus ædificetur Ecclesia vel dos constitatur, nisi prior patronus ad reædificandam Ecclesiam vel dotandam concurrerit. Qua in re opportunum est referre quæstionem *die 27. Julii 1861* propositam et resolutam in S. Congr. Conc. sub tit. *Tiburtina Restaurationis Eccl. Parochialis*. Templum parochiale juris patronatus deformatum, squalore sordidum, et ruinosum erat. Deficientibus redditibus Ecclesiæ et congruo Parochi propositum est dubium 'An patronus teneretur restaurare Ecclesiam parochialem in casu?' Et responsum est 'affirmative præfixo patrono termino trium mensium ad perficiendas reparationes, quo inutiliter elapso esse locum amissioni juris patronatus'. Ergo quando reparationes necessariae sunt in Ecclesia nec alius sit qui ex legitimo titulo teneatur easdem exequi auctoritas ecclesiastica potest præfigere tempus patrono ad eas perficiendas, quo inutiliter elapso censetur patronus decidisse a suo jure. Consonant aliæ resolutiones in *Tiburtina Reparationis Eccl. paroch., diei 15. Dec. 1827* et in *Nursina, 25. Sept. 1858* in quibus terminus patrono præfigitur vel ad reficiendam Ecclesiam, vel ad renunciandum juri patronatus.

## TITULUS XXXIX.

## De censibus, exactionibus et procurationibus.

1. Census, si generice sumatur, significat quidquid regulari præstatione solvitur. Communius vero hoc vocabulum sumitur ad indicandum jus quod alicui competit percipiendi annuam pensionem ex re alterius utili vel fructifera super qua dicitur fundatus census. Census hoc sensu acceptus alius est reservativus, alius consignativus. Reservativus est cum quis in alium transfert rem suam quoad dominium directum, et utile reservata sibi annua pensione super eadem re. Consignativus obtinet quando dominus alteri vendit jus percipiendi annuam pensionem super fructibus naturalibus, vel civilibus rei propriæ, retento sibi dominio tam directo quam utili. Leges et conditiones quibus census hic consignativus ad vitandam usurarum suspicionem debeat constitui, determinantur

a S. Pio V. in celebri Const. *Cum onus, diei 19. Jan. 1569*. At non de hoc censu loquitur titulus.

2. Census in sensu tituli definitur: 'Pensio aliqua annua quæ ex proventibus ecclesiasticis, ab ecclesiis, monasteriis et aliis locis piis solvitur Superioribus, Prælati, Patrono, vel alteri personæ præsertim in recognitionem subjectionis, aut etiam ex alio justo titulo Episcopi auctoritate recognito'. In genere ergo solutio census est argumentum dependentiæ. Hinc ceu principium edicit *c. 2. h. t.* 'Ideo tributa præstatis quia hæc est probatio subjectionis.' At sola solutio census non evincit plene Ecclesiam quæ solvit, esse subjectam personæ vel Ecclesiæ quæ censum percipit. Nam ex alio etiam titulo potest solvi census. Sic ex gr. ex *c. 23. De Jure patr.* solvitur modica pensio statuta ex Episcopi auctoritate in limine foundationis. Sic ex *c. 8. De privilegiis* solvitur census Episcopo in signum obtentæ exemptionis ab ejus auctoritate. Census alius *antiquus* dicitur, alius *novus*.

3. Antiquus est qui imponitur Ecclesiæ vel beneficio in ipsa fundatione vel in consecratione Ecclesiæ. Novus est qui ab initio non fuit impositus, sed imponitur post fundationem vel consecrationem Ecclesiæ, beneficio post ejus legitimam erectionem. Uterque vero potest esse vel perpetuus vel temporaneus, prout ad certum tempus imponitur vel absque temporis consideratione.

4. Quinam imponere possunt census?

1°. Rom. Pontifex qui juxta *c. 2. de præb. in 6°. et Clem. 1. Ut lite pend.* liberam habet dispositionem beneficiorum ecclesiasticorum potest imponere censum sive antiquum sive novum sive temporaneum sive perpetuum. 2°. Episcopus, vel qui habet jurisdictionem quasi-episcopalem potest imponere censum antiquum seu in fundatione et erectione Ecclesiæ vel beneficii, vel in consecratione Ecclesiæ *c. 7. h. t.* Potest etiam censum imponere cum concedit de consensu Capituli aliquam Ecclesiam a sua jurisdictione dependentem et eam ab oneribus episcopalibus eximit *c. 6. De relig. domib.* Hic census habetur ceu indicium acceptæ libertatis. 3°. Antiquum censum moderatum potest ex auctoritate Episcopi imponere patronus in limine foundationis beneficii, ex *c. 25. De jure patronatus*, in quo supponitur posse patronum exigere censum impositum in limine foundationis cum Episcopi consensu. At neque Episcopus, neque patronus potest augere censum antiquum semel impositum quamvis augeantur vires et facultates Ecclesiæ vel